

quo omnes improbos odimus? Ille erat, ut odisset primum defensorem salutis meae, deinde vexatorem furoris, domitorem armorum suorum, postremo etiam accusatorem suum. Reus enim Milonis lege Plotia, fuit Clodius, quoad vixit. Quo tandem animo hoc tyrannum tulisse creditis? quantum odium illius, et, in homine injusto, quam etiam justum?

XIV. Reliquum est, ut jam illum natura ipsius, consuetudoque defendat: hunc autem haec eadem coarguant. Nihil per vim unquam Clodius, omnia per vim Milo. Quid ergo, iudices? cum, moerentibus vobis, urbe cessi, iudiciumne timui? non servos, non arma, non vim? Quae fuisset igitur causa restituendi mei, nisi ei fuisset injusta ejiciendi? Diem mihi, credo, dixerat, multam irrogarat, actionem perduellionis intenderat, et mihi, iudices, in causa aut vestra mala, aut mea nec praeclarissima etiam iudicium timendum fuit. Servorum et egentium civium, et facinorosorum armis meos cives, meis consiliis periculisque servatos, pro me objici nolui. Vidi enim, vidi hunc ipsum Q. Hortensium lumen et ornamentum reipublicae paene interfici servorum manu, cum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus, senator, vir optimus, cum hoc cum esset una, ita est multatus, ut vitam amiserit. Itaque quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? Haec intentata nobis est: huic ego vos objici pro me non sum passus: haec insidiata Pompejo est; haec istam Appiam, monumentum sui nominis, nece Papirii cruentavit: haec eadem longo intervallo conversa rursus est in me: nuper quidem, ut scitis, me ad regiam paene confecit. Quid simile Milonis? cujus vis omnis haec semper fuit, ne P. Clodius, cum in iudicium detrahi non posset, vi oppressam civitatem teneret. Quem si interficere voluisset, quantae, quoties occasiones, quam praeclarae fuerunt? Potuitne, cum domum ac deos penates suos, illo oppugnante, defenderet, jure se ulcisci? potuitne, cive egregio et viro fortissimo, P. Sextio, collega